

Apletantur, sed aluntur virgines Christi: non venator & auriga dicitur, sed sustentatur pauperes Christi. Ad consulationem eorum diuersae totius orbis puinciae, ad quas domus vestrae potentia extenditur, peregrinas feras, & ignota animalia transfuderunt, quae crudelis arena solui vel suo vel hominum sanguine creuantur: Ad te vero electae quaeque virgines mittuntur, quae tu preciosissimum munus offeras deo, tuoque exemplo ad perpetuam pueros castitatem, non tibi sed tecum deo feruituras. Haec pfectionis tuae gloria rumore celebri vulgata est per cunctos: & ita ad conuersionem tuam totus exultauit orbis, ut quod praegreganti gaudio vix adhuc homines credere poterant, id semper videantur optasse. Multum his iniitibus, multum famae tuae odore suspensi omnes, mirum de te nescio quam adire desiderant, & qui pfectionis tuae cognouere virtutem, nunc conuersionis expectant. In te nunc putam cunctorum ora oculisque conuersos, & ad spectaculum vitae tuae totum confedisse mundum. Cauene per te tantorum animi offendantur, nec minus in te inueniant quam requunt. Verum quid ego tecum de hominibus ago, eorumque de te expectationem ad cohortationem tuam traho? De ipse oim rector ac dominus, cum omni angelorum militia, certamen tuum expectat, tibi contra diabolum dimicanti parat aeternitatis coronam, & coelestem premium incitamentum victoriae facit. Huic tanto spectaculo, videre quem animum, quam debeas offerre virtutem, & certaminis magnitudinem de expectantium dignitate metire. Haec tibi itaque in hoc agone subeundi praecipua cura sit, hic primus accinctus, intermissionis bellum virtute deuincere, & aduersum diaboli castra in omnia praecipua dei iurare, nec tantummodo declinare vetita, sed iussa complere. Neque enim tibi sufficit a malis ociose esse, si ociose fueris a bonis, cum lex dei duplici mandatorum genere distincta sit, & mala prohibens, bona imperet, atque ab utraque parte contemptum vetet. Non enim tamen ille seruus contempsit dominum, qui prohibita fecerit, sed & iussa non fecerit. Dicta a nobis paulo ante sententia est. Ois arbor quae non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur: & blandimur nobis si a malis fructibus non grauemur, quod dandam sumus si a bonis steriles manserimus. Iuxta hanc intelligentiam abscindet pater omnem palmitem fructum non ferentem in filio: & quod acceptum talentum in sudario abscondit, quasi inutilis seruus & nequa datur a domino, nec minuisse solum, sed & non auxisse culpabile est. Non ideo aliqua putes continenda esse mandata, quia leuiora sint. Tamen maxima illa quae minima a deo imperata sunt, & contemptus cuiusque praecipui, praecipientis iniuria est.

Philip. 2. Vnde beatus Paulus clamat & docet. Oia facite sine murmuratione & hesitatione, ut sitis irreprehensibiles & simplices sicut filij dei immaculati in medio nationis prauae & pueris, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Remoremur hic virgo paulisper, & preciosissimas margaritas quibus exornanda est sponsa Christi, per singula apostoli verba pensamus. Oia inquit facite: Non enim quasi ad arbitrium nostrum quaedam ex mandatis dei debemus eligere, sed generaliter vniuersa complere: nec aliqua praecipua eius quasi vilia munuscula ac parua contemnere, sed imperantis in omnibus maiestate aspicere. Nullum quippe mandatum dei contemptibile nobis videri potest, si eius semper cogitemus auctorem sine murmuratione & hesitatione. Viles & ignobiles dominos palam contemni videmus a seruulis, eiusque ad minima quaeque praecipua in faciem resistimus. Et hoc in personas nobiles iam non admittitur, quantoque potentiores domini, tanto seruus ad obedientiam propior est. Cuiusque difficiliora praecipiant, libentius audiuntur. Certe ad regis imperium, ita omnes parati sunt & in prociens obedientiam constituti, ut etiam optent iuberi, & non solum bene meritos esse se credunt si iussa fecerint, sed tanquam iam meruissent quod iussi sunt, ita per dignitatem praecipientis seruitium

Tomeus secundus.

beneficij loco ducitur. Nobis vero deus ipse aeterna illa maiestas, ineffabilis atque inestimabilis potestas, sacras literas, & vere adorandos praecceptorum suorum apices mittit, & non statim cum gaudio ac veneratione suscipimus, nec per magno ducimus beneficio tam illustri potestatis imperium, maxime cum non iubetis quae ratur commodum, sed utilitas subsequens. Verum econtrario fastidioso ac remisso animo, superbior ac nequa seruorum more, in os domini reclamamus & dicimus, durum est, arduum est, non possumus, homines sumus, fragili carne circumdamur. O caeca insaniam. O pphana temeritatem. Duplici ignorantia accusamus deum scientiae, ut videatur nescire quod fecit, nescire quod iussit, quasi oblitus fragilitatis humanae cuius author ipse est, impossibilem homini mandata quae ferre non possit. Simulque, prohi nefas, ascribimus iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum cum primo impossibile aliquid praecipisse conquerimur: deinde per his dandam putamus hominem ob ea quae vitare non potuit, ut quod etiam suspicari sacrilegium est, videatur deus non tam salutem nostram quae fuisse quam poenam. Itaque apostolus sciens a domino iustitiae ac maiestatis nihil impossibile esse praecceptum, aufert a nobis vitium murmurandi: quod tunc utique nasci solet, cum aut iniqua sunt quae iubentur, aut iubentis minus digna persona est. Quid tergiversamur incassum? Praecipienti opponimus naturae fragilitatem? Nemo magis nouit mensuram virium nostrarum, quam qui ipsas vires nobis dedit: nec quisque melius quid possumus intelligit, quam qui ipsam virtutem nobis nostri posse donauit. Nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est, nec damnaturus hominem fuit pro eo quod vitare non potuit qui pius est.

Sequitur, Vt sitis irreprehensibiles & simplices ad omnem morum perfectionem. Vnum hoc sufficere verbum potest, quod etiam in Episcopo eligendo deus queri iubet. Quam enim circumspecta vita est, quam sancta est, quae nihil reprehensionis incurrit? Quis autem sanctior potest esse, quam qui verae simplicitatis virtute tenens, nunquam aliud corde permittit, aliud ore vultuque mentitur, sicut filij dei immaculati? Non est exhortatio vehementior, quam qua nos scriptura diuina filios dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat tanto patre agere aliter quid indignum: ut quod dicitur dei filius, ipse efficiatur vitij seruus? Et de circo adiungit, Vt simus immaculati: Neque enim conuenit in filiis dei, quia ipse est fons iustitiae, peccati macula reperiri, in medio nationis prauae & peruersae: hoc est dicere, Quauis infinita vos cingat peccantium multitudo, & innumera sint exempla vitiorum, vos tamen ita coelestis natiuitatis meiores esse debetis, ut inter malos viuentes omne malum vincatis: Inter quos lucetis, ait, sicut luminaria in hoc mundo. Et rursum in Euangelio legimus, Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Comparatur vita premio, ut qui in futuro solis fulgore donati sunt, hic iam simili iustitiae claritate resplendeant, & infidelium ceceitate operibus sanctitatis illuminentur. Huic loco ille sensus aptandus est, quem ad Corinthios idem apostolus deferens ait, Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum. Stella autem a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum, dispares sunt in regno coelorum per singulorum merita mansiones. Diuersitas enim operum, diuersitas facit praemiorum, quantumque aliquis hic in sanctitate fulserit, tantum ibi fulgebit in honore. Nunc ergo ad omnem morum perfectionem mentis aciem intende, & ad coelestem premium coelestem vitam para. Resplendeat omnibus clarissimum in modum syderis sanctitas virginis, & futuri praemij magnitudinem de nouitate conuersionis ostendat. Tibi facilius in bonis cursus est, quem maiorum animi consuetudo non retinet. Nec timeamus ne te a virtutibus vitia retardent, & maligno diaboli semine Christi frugem necent. Nam si etiam illi qui

x iij longo